



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Archicancellariis Sacri Romani Imperii Ac Cancellariis Imperialis Avlae

Mallinckrodt, Bernhard von
Monasteri[i] Westphaliae, 1640

Carolvs Magnvs Imp.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11835

non alium esse hunc Bonifacium, quàm celeberrimum illum Moguntinum Præsulem: cuius etiam opinionis est Franciscus Lanouius, Ord. Minimorum Religiosus *in suo de Francie Cancellarijs Schediasmate*. Nec facile quis persuadebit, in alium aliquem eiusdem nominis, illorum temporum synchronum, ista conuenire. Felicissimis igitur auspiciis, non Coloniensium & Moguntinorum tantum Præsulum, sed omnium toto orbe Archi-Cancellariorum ad S. Cunibertum & S. Bonifacium principatus & primitiæ referuntur. quorum tamen posterior, non hæreditario quodam perpetuoque ac stabili iure, quod postmodum obtinuit, isti Sedi hanc prærogatiuam pro Successoribus suis acquisiuit: sed sub Carolo, ac stirpis Carolinæ Augustis reliquis, aliarum etiam Ecclesiarum Cathedras in consortium illius honoris admisit; donec sub Magno Othone; ex toto assè sibi proprium stabilemque in hunc usque diem faceret, ut postmodum ostendetur. Hinc igitur cognoscitur huius officij, & eiusdem appellationis antiquitas: nam & Archi-Capellanorù nomē, qui cum Archi-Cancellarijs ijdem sunt, (licet sub Merouingorum primis & vetustissimis Fræcorum Regibus communiter & plerumque *Referendarij* dicerentur,) ipsum quoque antiquissimum est. Inter Diplomata Cœnobij S. Maximini Treuer. num. 1. habetur Dagoberti Magni Regis Diploma, cuius subscriptio est: **Henricus Cancellarius ad vicem Ricolphi Archi Capellani recognouit.** extat idem Diploma apud Miræum. *lib. 1. Diplom. c. 2.* vbi *Ricolni* pro *Ricolphi* legitur. Igitur de Archi-Cancellarijs quæ tradere decreui, circa tria hæc versabuntur. 1. Quæ sit illorum successio ab Imperio Caroli Magni, usque ad Magnum Othonē eiusque Filium Wilhelmum, primū è Moguntinis Archi-Episcopis; qui non alios, quàm illius Martinianæ Metropolitanæ Sedis suæ Antecessores, Successores habuit, in Imperij primū Cispalini vniuersi, deinde Germaniæ Archi-Cancellariatu. 2. Qualiter & quo tempore ad Moguntinos dignitas ista priuatiuè, ut vocamus, deuenerit; & qua ratione ac quouis que per omne Imperium Cismontanum, sine cuiusquam participatione, Archi-Cancellariatum vniuersalem gesserint. 3. Quando primitus & qua occasione, munia ista summi Cancellariatus ad cæteros Rheni Archi-Episcopos propagata; quæque vnius eousque dignitas fuerat, trium deinceps promiscua, institutâ cōmunicatione & distributis officijs, facta sit; ac Triumvirale Archi-Cancellariorum, quod etiamnum feliciter perennat, Collegium, primæuâ originatione florere cœperit.

CAROLVS MAGNVS IMP.

Initium igitur à Magno Carolo, primo Germanicæ potentæ & Monarchiæ Fundatore, capiendum est. Dudum enim explosa est quorundam Teu-

Teutonico nomini minus bene volentium opinio, ipsum Carolum, & eius temporis Francorum populum (qui postmodum demum lapsu seculorum magis magisque in earum gentium, quas subegerat, & in quarum fines sedesque immigrarat, mores & instituta degeneravit) Germaniæ abiudicare conantium. Nam & in palatio Ingelheimensi, propè Moguntiam, in Teutonico solo, (multis enim ante Carolum seculis, & ab ultimâ vsque memoriâ, Gallicam Rheni ripam Germanorum populi longè lateque insederunt) eum natum, linguâ Teutonicâ uti natiuâ vsum esse, eiusdemque gentis moribus & ipsum & Successores eius longo tempore egisse, notissimum est: ac ipsemet Summus Pontifex Innoc. 3, in *cap. Venerabilem ex. de Election.* disertis verbis asserit, in huius Caroli personam, Apostolicæ Sedis beneficio, quod omnes, quotquot ingratitude notam odimus, libentes gratantesque fatemur, Romanorum Imperium ad GERMANOS delatum esse. Verùm istis longiùs immorari extra propositum est. Quamuis igitur diuersos repererim, qui sub Carolo, ex quo tempore imperare cœpit (incidunt primordia Imperij eius, ut notum est, in annum secularem 800.) *Archi-Cancellarij* extiterunt; quò Rado, Erkenbaldus & Einhardus, de quibus postea, redigendi sunt: non tamen & illos referre disconuenit, qui regnantis Scrinio, & literarum diplomatumque recognitionibus præfuerunt. Præmittam illos, de quorum annis constat, reliquos, quorum tempora incerta sunt, subsequi faciam. Latere autem Lectorem nolo, in prima hac de *Archi-Cancellarijs* parte, promiscuè cum illis *Cancellarios* *Notarios*que referre me constituisse; eò quòd difficile sit, propter obscuriorem huius rei antiquitatem, satis accuratè illos ab inuicem distinguere: cum non vniformiter vbique, vnusquisque officij sui cognomine appellari animaduertatur. *Itherius* igitur, siue *Ætherius*, primo occurrit loco; utpote qui sub ipsomet etiam Pipino patre, extremis annis eius, diplomata recognouerit, incerti loci Abbas, vir præclarus, & ipsismet summis Pontificibus probatus: de quo Lanouius videri potest. Fortè hic sit huius nominis Teruanensis Episcopus; ad quem inter cæteros an. 748. scribit Zacharias Pont. Max. vide *Epistolas S. Bonif. Epist. 136. & Tom. Concil. 3. part. 1. pag. 373.* vbi tamen Cenomanensis dicitur: sed cum Bonifacij editore facit Miræus in *Chron. Belgico, pag. 154:* nec reperitur hoc nomine aliquis Cenomanorum Præsul.

*Itherius.**Lupertus.*

Huic proximum subiungo *Lupertum*, uti apud Ioan. Paulum Windeck *cap. vi. de Electoribus Imperij* vocatur, siue *Ruidpertum*, uti legitur in *Chron. Lauresheim*, quod Freherus edidit, pag. 60. De vno enim homine illos loqui suspicor; cum apud vtrumque Auctorem eodem anno, videlicet 773, Literæ

Literæ

Literæ recognitæ fuisse tradantur. Res tamen illa ideo minus certa est; quòd *Lupertus* Archi-Cancellarius, alter non item vocetur; ac pro *Luperto Amelbertus*, pro *Rudberto Rado* vicariam recognitionis operam subisse legantur. Si qui igitur non de vno eodemque, sed de diuersis præmissa accipere volent; non displicebit, si dicamus, sub potentissimo illo Rege *Carolo*, ob magnitudinem Imperij & prouinciarum pluralitatem, diuersos & plures Cancellarios & regimina fuisse. quod etiam alijs simili ratione vsui venisse infra in *Henrico Aucupe*, ac fortè alijs, ostendetur. Hodie certè cum apud alios, tum præcipuè Hispaniarum potentissimum Regem, & in ipsâ Casareâ Aulâ, hoc animaduertere est; vbi vno in loco, ipsoque ad eò palatio, quinque reperiuntur distinctæ Cancellariæ, Imperij, Regnorum *Hungarici*, & *Bohémici*, *Austriæ*, & *Styriæ*: quibus sexta, ni fallor, rerum bellicarum; & septima, ærarij, siue fiscalium negotiorum, accedunt: licèt, quod sciam, hæ postremæ Epistolarum Magistris non Cancellarij nomine, sed alio vocent. Nihil tamen certi de re obscurâ definitio; nec pudori cuiquâ esse debet, si de rebus antiquis quædam se nescire fateatur. Fuit igitur eodem tempore *Amelbertus* Cancellarius, de cuius recognitione iam dixi. de vtroque autem, tam *Luperto*, quàm hoc, ita subscriptio habet foundationis *Campidonensis*, per *Carolus* Magnum factæ: *Amelbertus*
Amelbertus Cancellarius ad vicem *Luberti* Archi-Cancellarij recognoui, an. 773 Extat apud *Münster*, lib. 5. *Cosmogr.* c. 233. & apud *Crus.* in *annal. Suevicis* tom. 1. lib. 11. cap. 2. Fuit etiam iam memoratus *Rado*, siue *Radonus*. (vtrumque enim reperimus) qui postmodum ex inferiore ordine ad apicem Archi-Cancellariatus ascendit: disertè enim Archi-Capellanus vocatur apud *Gevvoldum* de *septem-viratu*, pagina 85. in Literis datis an. 802. quas nomine eius *Erkenbaldus* recognouit. Ac præterea etiam aliàs eius dignitatis puto vel omnes, vel plerosque fuisse, quorum vice alios recognitionis curam respexisse inuenimus: excepto, quando expressè contrarium additur & exprimitur. Nam post *S. Bonifacium Moguntinum*, de quo in superioribus, paucissimos, vt postea videbimus, ex Archi-Cancellarijs siue Archi-Capellanis (his enim nominibus antiquitus promiscuè vocabantur) reperio, in illis Regum *Cæsarum*que diplomatibus, licèt satis curiosè inspectis & collatis, quæ publici iuris facta, vel alia ad notitiam meam peruenerunt, qui ipsimet recognitiones subierint, ad tempora vsque *Caroli* quinti Imperatoris, vt infra dicam. Ac obseruavi, ne tunc quidem priscis illis temporibus *Moguntinum* aliòsve id muneris per semet obijisse, quando in Aulis *Curij*que Imperatorum præsentibus interfuerant, vti plurium diplomatum fide probari potest; idque ipsum hodierno etiam tempore, vt alibi dicam, regulariter adhuc obtinet.

Vigbaldus.
Gildbertus.

obtinet. Sed ad propositum reuertor. Radonis igitur vice, an. 779, vt Miræus annotat, (quem tamen annum mihi non liquere fateor) recognouit Caroli literas Basilicæ Aquisgranensi concessas VVigbaldus. *n. not. Eccles. cap. 23. & lib. 2. donat. Belg. c. 8.* Ad eiusdem Radonis vicem Gildbertus recognouit literas Caroli Laurishemenfi Cœnobio datas, quæ extant in *Chron.* eius loci Freheriano, *pag. 61.* Vixit sub Carolo Magno Ratho, Curiensis Episcopus, prius Monachus vallis S. Gregorij: illum autem ab hoc diuersum puto.

Hildebaldus Archi-Episcopus Colon.

Ad annum Christi 788, Hildebaldus occurrit, Antistes Agrippinas, qui Carolinam Fundationem Ecclesiæ Bremensis, in Saxoniâ, in Palatio Nemetensi datam, ita subscripsit: Hildebaldus Archi-Episcopus Coloniensis, & Sacri Palatij Capellanus recognoui. Ita Goldast. *tom. 3. Const. Imper. pag. 137.* similiter apud Meibom. *in notis ad VVidikindum, pag. 63.* in erectione Comitatus Tremonien. eod. an. Hic est, qui S. Lüdgerum nostrum, Episcopum consecrauit. Idem Ludouicum Pium regali coronâ redimitum inunxit. Etsi autem se simpliciter Capellanum scribat, tamen ob Archi-Episcopalem, quam tenuit, dignitatem, vix dubitari potest, quin Archi-Cancellarius fuerit. Si enim secus fuisset, præter hoc, * alia eius generis exempla alicubi occurrerent. Ac præterea apud Gewold. *de septem-viratu, pag. 85,* in ea ipsa subscriptione, Archi-Capellani legitur. Videatur de hoc Cratepolius in *Catalogo.*

*Videtur
men infra
de S. Heriberto.

Angilramnus Episcopus Mutens.

Non omittendum dixi, quod de hoc Hildebaldo (nec enim de alio capiendū videtur) in Actis Synodi Francofurtensis, (extat etiâ apud Sirmond. *tom. 2. Concil. Gall.*) reperi ad calcem operum B. Alcuini, an. 1617 Paris. excus. quæ absunt à Tomis Conciliorum, quæ Colonia & alibi impressa circumferuntur. Memoratu enim dignum est, tam strictam antiquitus fuisse & rigidam Ecclesiasticæ Episcoporum residentia obseruantiam, vt nec in ipsius Imperatoris aulâ, licet propter Ecclesiarum vtilitates in illa morarentur, sine speciali per ipsum Cæsarem obtentâ Apostolicâ licentiâ, assiduè versari permitterentur: quam Magnus hic Carolus tum de Hildebaldo, tum de prædecessore eius in illa Palatinâ appariturâ Angilramno, à Romano Pontifice consecutus fuisse signato loco scribitur. Sed præterea & hoc considerationem meretur, quod prædictus Imperator religiosissimus non contentus ista sanctæ Sedis gratiâ & dispensatione Patres Francofurtensis Synodi super eadem licentiâ deprecatus sit. Angilramnus prædictus, siue Angilranus, æquè ac Hildebaldus, Caroli Archi-Capellanus fuit; reperiturque fuisse inter Metensis Ecclesiæ Antistites, in ordine 38. De ipso Ioannis Chenu Biturigis in *Catalogo* locum adscri-

adscribo: 38 *Angelramus*. Archi-Capellanus Palatij Caroli Magni, rexit annis 33. Nouæ Cellæ Monasterium construxit, in quo quiescit. Obijt 8. Kal. Nouemb. An. 800.

Sequuntur duo alij eiusdem Caroli Archi-Cancellarij: quorum vterque Matisconensis Ecclesiæ Episcopus fuit. Vtrumque recenset sub tali elogio Ioan. Chenu, in *Catalogo Episcoporum Matisconen.* refertque eisdem Francisc. Lanouius, Ord. Minim. Religiosus, in *Schediasmate suo de Cancellarijs*. Leduardi prior, alter VVichardi, siue Guichardi nomen habuit; sibi que in Ecclesiastico regimine sine intermedij interuentu successerunt. Quibus annis Archi-Cancellariatu functi sint, ex illis, quos mihi inspicere datum est, Auctoribus non liquebat; qua de re *Robertum Reginaldum, & Iacobum Seuertium*, qui habent, & operæ pretium censent, videre poterunt. Incessit autem suspicio Lanouium, vtrique titulum illum, honoris causâ delatum esse, absque re & functione; quod videtur sibi non temerè ex tempore, quod vtrique tribuitur, colligere. Verùm, quod sciam, alia eius rei exempla de Carolinis reliquorumque Regum temporibus non suppetunt; eaque de causa parum veri similitudinis habere videtur coniectura prædicta. *Bartholomæum* suppeditat nobis Auctor anonymus *vite Caroli Magni* à Petro Pithæo edita, qui S. Eparchij Engolismensis Monachus fuit, ita scribens pag. 236, de diplomate Caroli isti Cænobio concesso: quod præceptum *Bartholomæus Cancellarius eius scripsit, & ipse Dominus Rex manu sua firmavit*. Constat ex serie narrationis, datas esse literas prædictas sub initium Regni Carolini, ad an. 769.

Erkambaldus memoratur Auctori *Annal. Francic.* siue is *Adelmus*, siue *Adomarus*, aut quis alius est, editorum à Iusto Reubero, *ICro Westphalo*, Palatini Electoris Cancellario, qui sub an. 801: Tum ille (Carolus) *misit Erkambaldum Notarium in Liguriam ad classem parandam, qua elephas, & que cum eo afferebantur, subuehi possent*. Apud *Gewold. de septem-viratu, pag. 85*, Erkambaldus Notarius vice Radonis an. 802. recognoscit. quod ideo hinc repeto, vt ostendam, non minùs ad Imperij, vt suprâ dicebam, quàm regni Carolini tempora Radonem pertinere. Hunc Erkambaldum, similiter postmodum ad Archi-Cancellariatum euectum esse, ex *Chartulario Dionysiano*, quod Lanouius adducit, comprehenditur: in quo *Genesisius* Erkambaldi nomine Caroli literas recognouisse scribitur. Admodum verisimile est, hunc Erkambaldum; cum ad posteriora Caroli tempora pertineat, eundem esse, quem Auctor anonymus *vite Ludouici Pij Imperatoris*, apud Pithæum, *Commentariensem Imperij* vocat. quo nomine Cancellarium vocari nemo puto improbet; licet antiquitus, vigente adhuc Latini sermonis incorruptâ castitate,

tate, Commentariensis nomen non vsque adeò sublimis dignationis fuerit. Vocabula enim vt nummi, valent ad arbitrium & libitum vtentium.

VVittigovvo.

VVittigovvo subscripsit & recognouit diploma Carolinum Cœnobio Laurish: (vide *Chron. pag. 61.*) concessum. Hoc eodem nomine, sub Othone 3, vixit Augiensis Abbas. *Herm. Contr.* Apud Georg. Fabricium, hoc nomen *VVittigo* scribitur *lib. 1. Annalium Urbis Misnie in fine & in principio secundi.*

Einhardus Abbas Salingenstadiensis.

Supereft Einardus siue Eginhardus, inter Caroli Capellanos & Cancellarios celebritate & famâ nominis facilè princeps; ac fortè nec eruditione etiam, pietate, rerumque vsu alicui reliquorum secundus. Hunc tamen hactenus, quod quidem constet, ex recognitionibus & subscriptionibus necdum cognouimus. Præter reliqua autem Historicorum de hoc viro testimonia satis honorifica, à Trithemio, *de Vir. Illust. Caroli Cancellarius;* in vetusto autem libro Monasterij Laurisheimensis, cuius fragmentum refert Iustus Renberus, eiusdem *Archi-Capellanus & Notarius* vocatur. Fuit autem alumnus Caroli, vt ipsemet in principio vitæ Heri, benefactoris, & nutritij sui grato animo agnoscit; adeoque sub finem Imperij Carolini Scrinio dominico præfuit. Hinc etiam factum, vt, cum regni diuisio, & testamentum Caroli approbari ab Apostolicâ Sede peteretur, hic vnus cæteris prælatus, & delectus sit, qui legationem tanti momenti in se reciperet: quam etiam rem feliciter ad votum Imperatoris effectam dedit. Memoratus liber Laurisheimensis, generum Caroli fuisse narrat, per filiam, nomine Immam; de quorum amoribus lepidissimam historiam refert: cuius veritas non videtur dubia fuisse Lipsio, qui monitis Politicis suis inseruit*. Cardinalis tamen Baronius, in *Annal. Ecclesiast. sub an. 826,* pro merâ fabulâ habet. Visitur sanè hodieque in medio Choro Claustralis templi Salingenstadij (Monasterium illud Benedictinum ad Mœnum, inter Francofurtum & Aschafenburgum situm, hunc fundatorem, & primum Abbatem agnoscit ac veneratur,) cleuatum monumentum; quo communi sepulchro vtrumque coniugum claudi, Religiosi eius loci credunt & referunt. Mirum tamen videatur, si aliqua hoc nomine Carolo filia fuerit, huius non meminisse ipsummet Eginhardum *in vitâ eius;* vbi liberorum, etiam è concubinis natorum, satis accuratam nomenclaturam instituit. Verùm de hoc alij iudicent. Videtur autem suspicari Miræus *ad cap. 7. lib. 2. diplom. Belg.* Ainardum, Abbatem Blandiniensem sub Ludouico Pio, non alium quàm hunc eundem esse. Quicquid autem sit de hoc, & matrimonio eius, extra dubium certè est, dicti Salingenstadiensis Monasterij primum Abbatem fuisse. Longissimè autem vixisse necesse est, si is ille idem sit, qui, hoc nomine, an. 848, Moguntinæ Synodo interfuit; vt ex Trithemio narrat Baronius *tomo Annal. 10.*

**lib. 2. cap. 32. num. 12.*

Ri-

Ricolphum, tertium Archi-Episcopum Moguntinum, Caroli Magni Sacellanum intimumque Consiliarium fuisse, magnaque in regia aulâ potentia viguisse, Cratopolius, Bruschius, & Serarius testantur. è quibus colligi ni fallor, videtur Cancellarium eius extitisse. Nil tamen firmiter eâ de re affirmo, contentus Lectoris hæc examini exhibuisse, donec diplomata aliave documenta certiora nobis largiantur.

LUDOVICVS PIVS.

Progredior ad Ludouicum Pium; sub quo primo loco Helisachar occurrit de quo Lanouius tabularium Sandionysianum Iacobi Dubletij aduocat. Extant autem apud Miræum quoque Ludouici diplomata, ab Elisachare recognita, *lib. 1. diplom. c. 9. & lib. 2. c. 7. & in notit. Eccles. c. 27.* omnia de anno 2. regim. Lud. qui est Christi 816. Vtitur hac formulâ in subscriptionibus: Helisachar recognoui & notau. Huius nomine, apud Gevoldum *pag. 86.* Arnoldus recognouit, an. 3. Imperij Ludouici, & apud Goldast. *tom. 2. Constit. Imp.* Factus hic postea est Abbas S. Maximini Treuerensis, vt non præter rem coniectat Miræus, *ad c. 10. lib. 1. diplom.* deinde ad Tholosanam Cathedralam euectus creditur: hoc enim nomine eius loci Præsul reperitur, apud Aimoinum *l. 2. c. 19.* vt Lanouio obseruatum est. Meminit huius admodum honorificè Amalarius Fortunatus, Archi-Episcopus Treuerensis in Prologo Antiphonarij, cuius conficiendi illum adiutorem in versuum ordinatione habuit, vocatque inter priores Palatij primum. Locus is ita habet: *In versibus, quos penè mutatos reperiet, si fortè quis dignum duxerit præsens volumen frequentare, laborauit & sudauit Sacerdos Dei Elisagarus, apprimè eruditus, & studiosissimus in diuino cultu, nec non & inter priores primus Palatij excellentissimi HLudouici Imperatoris, &c.* Freculphus Lexouienfis huic præceptoris suo partem priorem historiarum suarum inscripsit. Ad huius etiam vicem Durandum Diacoum recognouisse, videre licet in diplomate Ludouici, anni regni eius 8 dato, quod ex Archiujs Narbonensis Ecclesiæ refert Pithœus *ad calcem vite Ludouici,* & ex illo Gold. *tom. 2. Const. Imp. pag. 9.*

Idem Durandus, etiam absque mentione vicariæ præstationis, recognouit Pij Imp. literas: qui enim apud Miræum *lib. 1. diplom. c. 10.* Danandus vocatur, sine dubio hic ipse est sub corrupto nomine. sed & vice Fridegisi recognouit, ad quem transeo.

Frigegeus, qui in tabulario Dionysiano Fridagissus scribitur, incerti Cœnobij Abbas, reperitur inter subscriptores Testamenti Carolini, vt ait Lanouius.